

dam alia, tum intensionē significat, tum minutionem. Nam uetus & uehemēs,⁵
alterum ab ætatis magnitudine compositum elisumq; est, alterum à nimio im/
petu & ui mētis instructum. Vecors autem & uesanus, priuationem significat
sanitatis & cordis. Diximus autem superius, eos qui amplas domus antiquas
faciebāt, locum ante ianuam uacuum relinquere solitos, qui inter fores domus
& uiam medius esset. In eo loco qui dominū eiusdem domus salutatum uene-
rant, priusquam admitterentur, consistebant. Et necq; in uia stabant, necq; intra
ædes erant. Ab illa ergo grandis loci consistione, & quasi quadam stabulatio-
ne, uestibula appellata sunt spatia, in qbus multū staretur ab aduentientibus,
priusquam intromitterentur in domum. Alij consentientes uestibula eadem es-
se quæ diximus, in sensu tamen uocabuli dissentunt. Referunt em non ad eos
qui adueniunt, sed ad illos qui in domo commandant, quoniam illic nunquam
consistunt, sed solius transitus causa ad hunc locum ueniūt, exeundo siue rede-
ndo. Siue igitur secundum priores per augmentum, siue per secundos per di-
minutionem intelligendū est, tamen uestibula cōstat aream dici, quæ à uia do-
mum diuidit. Fauces autem iter angustum est, per quod ad uestibulum de uia
flectitur. Ergo Aeneas, cum uidet fauces atq; uestibulum domus impiorum,
non est intra domum, nec contactu ædium execrabili sœuoq; polluitur: sed de
uia uidet loca inter uiam & ædes locata.

Bidentes quid significant, & unde dictæ. Deinde eqtem id ipsum significare nonnunq; quod
significatur nomine equi.

Caput .IX.

Gell. 16. c. 6. **B**identes hostiæ quid essent, inquit Auienus, interrogauit quendam de
grammaticorum cohorte. Et ille bidentes, oues esse respondit, idcīrcōq;
lanigeras adiectum, ut oues planius demonstrarentur. Esto, inq; oues
bidentes dicantur. Sed quæ ratio huius in ouibus epitheti, scire, inquam, uolo.
Atque ille nihil cunctatus, Oues, inquit, bidentes dictæ sunt, quod duos tantū
dentes habeant. Tunc ego: Vbi terrarum, quæso te inquam, duos solos p na-
turam dentes habere oues aliquando uidisti? Ostentum enim hoc est, & factis
piaculis procurandum. Tum ille permotus mihi & irritatus: Quære, inquit, ea
potius, quæ à grammatico quærenda sunt. Nam de ouium dentibus opiliones
percontator. Facetias ego nebulonis hominis risi, & reliqui. Sed te percontor
quasi ipsius uerborum naturæ consciū. Tum Seruius: De numero denti-
um quem ille opinatus est, reprehendendus à me non est, cum ipse iam riseris.
Verum procurandum mihi est, ne illud obrepas, quod bidentes epitheton sit
ouium, cum Pōponius egregius Atellanarum poëta in Gallis trāsalpinis hoc
scripserit: Mars tibi uoceo facturum, si unquam rediero, bidente uerre. P. au-
tem Nigidius in libro quem de extis cōposuit, bidentes appellari ait, non oues
solæ, sed omnes bestias bimas. Neque tamen dixit, cur ita appellantur. Sed in
commentarijs ad ius pontificum pertinentibus, legi bidennes primò dictas, d
litera ex supfluo (ut saepe afolet) interiecta, sicut pro reire redire dicitur, & pro/
reamare redamare, & redarguere pro rearquere. Ad hiatum enim duarum uo/
calium procurādum, interponi solet d litera. Ergo bidennes primū dictæ sunt
quasi biennes: & lōgo usu loquendi corrupta est uox, & ex bidennibus biden/
tes dictæ. Higinus tamen, qui ius pōtificum nō ignorauit, in quinto librorum,
quos de

Bidentes.